ANIMADVERSIONES IN BROUSSAISIANAM DOCTRINAM QUAS AD...

Pietro Leider

ANIMADVERSIONES

IN

BROUSSAISIANAM DOCTRINAM

QUAS

ad Medicinae Lauream

ASSEQUENDAM

IN ANTIQ. AC CEL. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE PROPONIT

PETRUS LEIDER

VICETINUS EX SCHLEDO

PATAVII

TYP. CARTALLIER ET SICCA

1838

> «Naturae, non hominis, voce loquitur Hippocrates Medicorum Romulus, cui nec aetas prisca vidit parem in re medica, nec videbit futura, nisi demum resipiscant Medici, et veluti alto somno excitati videant quantum differat historica et mascula Graecorum Medicina a speculativa et pensili novorum hominum. Et minus in posterum fictis animi sententiis tribuentes decernant Medicinam non ad mentis nostrae angusties esse arctandam, sed potius in apertum ex hisce angustiis naturae campum revocandam.»
>
> BAGLIVI. Opera omnia. Cap I

Tanta, Professores sapientissimi, hujusce nostri aevi Medicos urget conficiendorum systematum, et construendarum hypothesium mala consuetudo, ut nulla pene adsit dies quin aliquod fervidae, sed minus tutae imaginationis opus, typis committatur et evulgetur. Quid inde? An ne major inde existit in curandis sanandisque aegris utilitas? An ne tot, quibus ars nostra circumvallatur difficultatibus, promptius tutiusque dissolvuntur? Minime quidem; fateamur potius necesse est, eos, in tanta novarum doctrinarum luce, felici magis cum successu morborum curationem suscipere, morbosque ipsos abigere qui nullo coacti systemate nullisque hypothesibus devoti, cum Hoffmanno et celebrioribus artis medicae magistris probe observant et agnoscunt operationes intentionesque naturae; Ecclecticorum more, id omne a singulis systematibus haurientes, quod cum morbi natura atque specifica indole magis convenire videtur. Hujus rei veritatem comprobare

quotidie videmus et in privata praxi, et in nosocomiis.

Inter novas hujusmodi doctrinas ea, quam Gallus medicus Broussais novissime evulgavit et ingeniose sustinuit, magnam profecto sibi vindicat attentionem utpote quae tot sibi asseclas adepta est, licet omnino hypothetica sit minusque cum rei veritate rerumque magistra experientia convenire, omnes qui probe in arte medica sentiunt, confiteantur. Hanc doctrinam, quae citra Alpes orta per Italiam quoque nostram late diffundi et spatiari nimis facile coepit, ad trutinam revocare in animo mihi est, ut inde pateat in quo a veri similitudine dissideat atque ab observationibus abhorreat, quae a clarissimis viris, Hippocrate duce atque magistro, ad haec usque nostra tempora habitae fuerunt. Quod dum suscipio academico etiam muneri satisfaciam, eamque ante conspectum vestrum orationem habeam, quam Medicinae candidatum publice defendere lex jubet atque consuetudo.

Quemadmodum in omnibus naturalium disciplinarum partibus systematicae doctrinae a rei veritate serius ocyus aberrare visae sunt, ita et in medica arte systemata omnis fallacia plerumque observantur, utpote quae naturam ipsam, quae observatorum aciem saepissime fallit, inter imaginationis cancellos adstringere student. Naturae enim leges metiri quidem consnescimus ex observationibus; verum ludit ipsa mirabili atque divino prope artificio, et oculis nostris portenta ostendit. In quot, quaeso, quantisque rebus antecessores nostri meri-

diem crediderunt quas postea a teterrima nocte involutas subsequens aetas demonstravit. An ne Physices et Chemiae studia ita perfectionem attigerunt, ut quae statutae sunt leges a doctissimis caeteroquin viri perpetue dici possint nullisque mutationibus obnoxiae? Perierunt Cartesii vortices, perierunt alii quam plures imaginationis et phantasiae lusus, aliaeque subrogatae sunt hypotheses, quas experientia in posterum erroris et fallaciae criminata est. Ita porro et Medicinae systemata nonne multa renascuntur quae jam ceciderunt, caduntque quae in honore erant? Quid, quaeso, Culleniano systemati, Boerhaaviano, Browniano contigit? Quid caeteris, licet celeberrimis, systematibus? Horum systematum plura in hoc, mutatis tantum verbis, conveniunt, ut morbos omnes, quotquot sunt, vel a virium vitalium excessu, vel a defectu procedere autument. Hanc morborum divisionem medici complures amplexati sunt, atque severam et naturae convenientem distributionem nactos fuisse crediderunt. Verum mille ab annis in hunc usque diem circa hanc rem disceptatum fuit; sua cuique sententia est, sua quemque opinio trahit. Alii vitalitatem vim porro simplicem considerantes, eaque (quod dolendum) cum physice corporum proprietate, elasticitate nempe comparantes non nisi excessu et defectu delinquere posse totis viribus contenderunt, atque adhuc contendunt. Alii contra vitalitatem, quae licet una eademque sit, varia tamen existit pro textuum organorumque varietate, ita considerant, ut a varia molecularum proportione atque

mixtione, fibrarumque distributione variis et multiplicibus sane modis manifestetur, amplioribus tali pacto limitibus naturam circumscribentes, et tertiam morborum classem, eamque ditissimam constituentes, eorum nempe morborum qui a vitalium virium perturbatione procedunt, quin vitalitas ipsa vel adaucta, vel imminuta observetur. Triplicem hanc morborum classem celebriores cujuscumque aetatis medici agnoverunt. Agnovit Celsus et scripsit (1): « Neque hercule satis est ipsas tantum febres medicum intueri, sed etiam totius corporis habitum, et ad eum dirigere curationem, seu supersint vires, seu desint, seu quidam mali affectus interveniant. » Agnovit Hallerus cum scripsit: « Si nihil aliud agendum esset quam addere aliquid, aut auferre, tota quidem ars medica per ludum disceretur; sed augendo noceri potest et removendo. » Agnovit Baglivius, et integrum caput de irritatione conscripsit; agnoverunt tandem Bondiolius, Rubinius, Gianninius, Fanzago, Brera, Bufalinius, aliique in arte medica celeberrimi viri, quorum opera penes eos qui medicinam feliciori cum successu faciunt in deliciis habentur.

Quare luculenter patet novam Broussais doctrinam longius ab utili Medicinae scopo distare; fundamenta enim sua ita ponit, ut aphoristico modo statuat: *ubi febris, ibi constanter phlogosis.* Hanc propositionem fallacissimam esse nemo est qui statim animo non concipiat; siquidem naturam vel po-

(1) Celsus, de Medicina. Lib. III. Cap. V.

tius morbos nimis arctis limitibus circumscribit. Et revera si in febrem, quemadmodum scripsit Burserius (1), adeo frequenter incidunt homines, ut una tertia pars Gorterio, duae vero Sydenhamio, tertiae morborum quibus obnoxii sumus ad febres spectare videantur, et si febris idea juxta Broussais inflammationem semper includit, maxima morborum pars, quin imo omnes fare morbi inflammatoriae forent indolis atque naturae. Quod quidem nisi in meridie caecutientes admittere nullo modo possunt; si enim febres omnes inflammationem pro causa agnoscerent, tractari non nisi antiphlogistica deberant methodo: tractantur vero plures et prospere quidem cortice, aliae aromaticis, aliae antispasmodicis, aliae martialibus, aliae evacuantibus, drasticis, irritantibus. Quid inde? An ne cortex ad phlogoses debellandas valet? Ecquis est qui genuinas inflammationes aromaticis, martialibus, tonicis tractandas suscipiat? Quis, ex. gr., gastritidem ferro aut drastico quodam medicamento curare unquam putavit? Febres sane etiam intermittentes quandoque indolis inflammatoriae esse, quae phlebotomiae juxta indicationem repetitae cedunt, legimus apud celeberrimos scriptores. Verum an ne omnes febres intermittentes per phlebotomiam curari possunt. Nequaquam. Fatemur potius a varia medicamentorum, quibus jugulantur febres, indole atque natura variam elucescere ipsarum febrium originis et naturae rationem; ideoque cum Broussais con-

(1) Burserius, Inst. Medic. pract. Vol. I.

cludendum minime esse: ibi semper accendi phlogosim, ubi processus febrilis evolvitur.

Sed ut magis adhuc pateat gallicae hujusce doctrinae fallacia, fiat, quaeso, comparatio inter inflammationes veras et conditiones irritativas, ut appareat utrum easdem agnoscant causas, iisdem manifestentur signis, eademque curentur methodo therapentica. Si febres omnes et provocarentur, et alerentur a statu phlogistico, quod Broussais ejusque sectatores contendunt, tum ii morbi quibus febrium nomen inditum est, tum et ii quos ad phlogoses jure optimo spectare medicorum vulgus autumat, ab iisdem causis producerentur; eadem proferrent symptomata, iisdemque remediis tractarentur. Verum non ita res se habet, siquidem in his omnibus et febres et inflammationes toto caelo differunt inter se.

Licet Ætiologia ea sit Pathologiae pars quae obscurioribus adhuc obstipatur tenebris, ab accurata tamen causarum cognitione, criteria quaedam deducuntur ad morborum diagnosim utcum maxime conducentia. Quaedam enim peculiares causae peculiares atque specificos in organismo effectus producunt, ita ut, cognita causa, quinam futuri sint effectus tuto praevideri possit; et cognito ac probe perspecto morbo, a quanam caosa prodierit dignoscatur. Hisce positis, generales inflammationum causae ad mentem celeberrimorum medicorum in medium afferre juvabit, ut cum iis comparentur quae febres generatim producere consuescunt. Tum ad inflammationes, tum ad febres construendas et praedispo-

nentes et occasionales requiruntur potentiae. Generatim ad inflammationes disponunt easque suscitare valent eae causae quae organismum incitant, et vim vasorum atque sanguinis aestum promovent; sunt itaque status pletboricus, aromaticorum et spiritnosorum praeposterus usus, maximum arteriarum eretbismus, irritabilitas magna, sanguinis humorumque omninm fervor, subitum frigus calori, aut subitus calor ingenti frigori succedens, potus frigidus aestuante corpore ingestus, motus, cursus, saltatio vehemens, idque genus alia. Ad febres e contra bomines pronos faciunt, febresque ipsas movent non saltem causae mox dictae, minori intensitate potissimum agentes, verum etiam plurimae aliae et tot revera, quot morborum generatim causae sunt; non est enim morbus, qui febrilis non possit esse.

Nunc ad symptomata, quibus et inflammationes et febres manifestantur, transeamus. « Quando aliqua corporis pars, scripsit insignis Burserius (1), praeter naturam intensius calet, rubet, tenditur, tumet, dolat, et molesta quadam pulsatione intus quasi pertunditur, ea tum inflammari sive incendi dicitur, quod similia ferme patiatur iis quae ab igne gignuntur. » Facillime haec phoenomena deprehenduntur quoties pars inflammata sub oculos cadit, non ita vero si partes affectas in internarum partium inflammationibus judicamus, quamquam nec tumor, nec rubor, nec tensio nostris plerumque objiciantur oculis. Febris vel potius quaedam febris stadia,

(1) Burserius, loco citato.

maxima cum symptomatibus inflammationis congruere inficiari non possumus. Nonne revera maxima revinciuntur inter se similitudine stadium caloris in febribus intermittentibus et continuis, et stadium acminis in inflammationibus? Calor animalis utrinque adaugetur, pulsus micant celeres, frequentes, vibrati, respiratio ipsa quidquam patitur, rubet facies, rubent oculi, et universa corporis superficies calet. Verum quis erit unquam qui morbos adeo natura et indole discrepantes una simul immisceat atque commutet? Febris ex stadiis distinctis construitur, ex pluribus manifestis accessionibus componitur, statisque quibusdam temporis et certis intervallis exacerbatur, aut quosdam novas accessiones subit, iterumque post aliquot horas paullatim remittit se se et mitescit, vel omnino cessat: inflammationes e contra nec remissionem, neque intermittentiam offerunt ullam; sed ullo quasi circuitu sua stadia percurrunt, ita tamen, ut in principio et declinatione morbi omnia mitiora sint, graviora vero in augmente et statu, quemadmodum in aliis morbis fieri consuevit. Quamobrem aperte constat ex iis quae diximus, inflammationes genuinas et febres diversis quidem causis suam originem acceptam referre, et diversis designari symptomatibus. Verum ut res clarius demonstretur et exemplis illustretur, praestat gastritidem et febrem gastricam ad examen revocare. Gastro-enteritis a clarissimo Broussais habetur et consideratur uti affectio morbosa, cui plures quidem referri necessario debent aegritudines, quas ex ea nullo modo pende-

re hucusque crediderunt medici. Hanc propositionem iis auctor fulcire studet fundamentis, quae ex sympathico nexu, qui ventriculum inter et alia oeconomiae animalis organa intercedit, depromuntur; quod licet ingeniosis argumentis sustineat, non tamen ita accipiendum est, ut ventriculus ob commercium cum caeteris partibus ad inflammationem perpetuo pronus fiat, et accendatur. Quid enim est quod stomachum et intestina prae caeteris partibus ad inflammationem disponat? An ne membranacea textura?

Verum membranis alia etiam viscera componuntur. An nervorum ad vegetationem prospicientium maxime et mirabilis sane copia? Sed et caetera abdominis viscera nervis instruuntur fere innumeris. An ne ciborum digerentium attactus? Verum et oris cavum, et facies, et oesophagus cum cibis in contactum veniunt, et aliae partes organismi quamplures potentiis externis ita patent, ut continuo fere inflammari deberent. Quare et ventriculus nonnisi ut caeterae partes ad phlogoses suscipiendas par est. Quid porro de ejus membranis eveniret, si tot tantosque processus phlogisticos subiret, quot Galli medici et Controstimulistae contendunt? Absque dubio in cadaverum sectione varios atque multiplices inflammationum exitus deprehenderemus: indurationem, exulcerationem, gangraenam, suppurationem, hydropem ipsum. Scimus quidem esse, et novimus nos ipsi medicos gallicos, qui Broussaisianis doctrinis imbuti, in omnibus febribus ventriculi inflammationem videre et manu quasi tangere sibi aliisque per-

suadere studuerunt. Quid inde? An ne stomachus phlogistico incendio prebensus in autopsia reperiebatur? Minime gentium. Ex autopsiis potius constat conditiones irritativas in organismo frequentissime evolvi, quae angioitidem aliasve inflammationum formas facile simulara possunt, neque nisi per praestitutum aequilibrium in mutuis elementorum et molecularum proportionibus radicitus curari queant, frustra quidem vel saltem cum miti et temporario levamine praescribuntur deprimentia controstimulantia, et licet sanguis ad ultimam usque guttulam mittatur, nihil inde tamen utilitatis obtinetur.

Nunc ad gastritidem describendam progrediamur. De causis a quibus gastritis oritur loqui supervacaneum est; paucis enim exceptis, sunt cujusvis inflammationis communes; symptomata vero sunt: dolor assiduus, ingens, ardens, pulsans, qui epigastrium, cordis scrobiculum atque sinistrum hypochondrium tenet, saepe ad dorsum usque protensus; ea regio valde tumet, tactum ob doloris acerbitatem refugit, et simul haec omnia cum febre acutissima pulsuque duro contracto, modo parvo, modo magno et vehementi conjunguntur, deglutitio ipsa, imo eructatio quandoque impeditur; sitis ac aestua aegrum extorret, assumpta quaeque vomitu vix compescando ejiciuntur, dolorque ejusmodi concussionibus ingravescit, atque intensior fit. Accedunt praeterea animi deliquia, anxietates, creber singultus, et similia saevissima symptomata. Sic gastritidem descripserunt celebriores auctores, sic naturae penicillo delineavit immortalis Burserius; gastricam vero fe-

brim, sequentibus symptomatibus manifestari omnes consentiunt: quibus jam imminet morbus, hi aliquot ante diebus valde languent, capite, lumbis et genibus dolent, aut pondus et gravitatem toto corpore sentiont; interdum vehementi cephalalgia vexantur, pravo oris sapore, matutinis praesertim horis afficiuntur; cibum fastidiunt atque adversantur, et noctes inquietas insomnesque, sive ullo alio plerumqoe symptomate, transigunt. Deinde incipiunt per vices horrere et incalescere; dooec tandem calore sicco atque acri exardeant. Tum pulsus, qui horroris tempore erat parvus et celer, se incipit efferre, et quandoque fit vehemens, non tamen dorus. Capitis praeterea dolor plerumque ingravescit, vomitus aut vomendi cupido accedit, sitis affligit, urina parcior redditor, atque os manifestius amarescit; dentes, lingus, fauces viscida et tenaci pellicula, modo albida, modo fusca et nigricante, modo flava et lutea obtegnntur. Qoibusdam alvus compressa est, plerumque tamen liquescit et fluit. Hypochondria ut plurimum elevantur, turgent, tenduntur, et pro tensione dolent. Haec sunt praecipua gastricae febris symptomata, quae si cum symptomatibus gastritidis comparentur, nullam cum illis similitudinem habere primo etiam intuitu dignosci potest.

Verum aliquis fortasse erit qui objiciat, quod si inflammatio stomachi acuta a gastrica febri differt, non ita porro res est de chronica et lenta gastritide. Atque hic reticendum non est multos quidem medicos hujusce nostri aevi morbum quem tractant

ignorantes, eum ut plurimum pro lenta phlogosi definire, quemadmodum veteres ipsique seniores practici nostrae aetatis nervis, quae explicare nesciunt, tribuere consuescunt; et sub vago convulsionum et affectionum nervosarum nomine multiplices sane morbos, suosque sibi errores comprehendunt. Verum et veteres et recentiores eadem ratione peccant. Sed nec lentam gastritidem cum febre gastrica commutare ullus potest, ratione habita ad causas, ad symptomata, atque ad decursum cujusque affectionis.

Nunc de curatione utriusque morbi disputandum remanet. Curatur gastritis pro variis a quibus oritur causis, varia quidem methodo; plerumque tamen sanguinis missiones et generales et locales, potiones mucilaginosae tepentes, paullatim sumptae ne vomitus suscitetur, diaeta, quies et similia morbi curam absolvunt; febris vero gastricae curationem perficiunt emetica pro re nata repetita, purgantia, eccoprotica plus minusve fortia, potionesque incidentes et diluentes.

Sed tandem ad Broussaisianam doctrinam propius accedamus, eas praeprimis relationes considerantes, quae inter gastro-enteritidem et febres essentiales intercedunt. Nullum fere febrium genus stricto sensu essentiale dici posse inter omnes paene convenit. Et revera nil aliud est febris quam nonnullarum salutis abnormitatum, vel quasi umbra, vel manifestatio suis formis notata; attamen febres simplices omni complicatione destitutae ideoque solitariae et essentiales in praxi observantur, qua-

rum omnium, quemadmodum et aliarum febrium, essentia pathologica praeternaturali systematis nervorum sympathici actioni est tribuenda. Hujusmodi autem actionem indolis esse irritativae innumeris prope evincitur argumentis, ut videre est in volumine primo Institutionum Medicinae practicae J. B. Burserii. Quare omnes febres essentiales, ideoque essentiam febrium pathologicam ad gastro-enteritidem referre, uti placuit Broussais, nullo modo possumus. Hac enim propositione concessa, universam febrium familiam ad inflammationum classem relegaremus, nullamque esse febrium nisi indolis inflammatoriae admitteremus. Quod tantum abest ut faciamus, ut potius hanc doctrinam totis viribus impugnandam susceperimus.

Potentiae omnes, quae ad febres essentiales procreandas valent, digestionis vias praeprimis vel directe vel per consensum irritare, summamque phoenomenorum, quae ab hac irritatione producuntur, febrim constituere Broussais auctor est. Quod dum asserit, febrium naturam inflammatoriam admittit, febresque omnes a gastro-enteritide provocari supponit. Cum vero intensae irritationes singulorum organorum ex mente ipsius auctoris ad cerebrum, ad cor, atque ad ventriculum primitus transmittantur, sic concludi eadem ratione potest, febres omnes ad carditidem et encephalitidem referri. Praeterea ad Broussaisianam doctrinam sustinendam non valent symptomatum similitudo, quibus febres et phlegmasiae manifestantur; etenim ex comparatione paulo supra instituta jam patet, hanc similitudinem re-

vera non existere. Quae autem argumenta ad hanc doctrinam roborandam depromuntur ex laesionibus in cadaverum sectione observatis, non omni fide digna nobis videntur; hujusmodi enim laesiones imaginationis potius, et praeoccupatae mentis oculis visaa fuisse credimus; siquidem illis qui plura ex febribus defonctorum cadavera secuerunt, nunquam talia observanda venerunt. Sed quid aliud dicam? Nec Morgagnius, nec alii in morborum sede per extispicia inquirenda diligentissimi et celebarrimi viri tot mala in ventriculo notarunt, quanta Broussais ejusque sectatores. Quid plura? Jam vidimus phlegmatias et febres a diversis causis oriri, diversa praeseferre symptomata, diversis curari remediis, proindeque fallaciam Broussaisianae doctrinae in aperto posuimus. Concedimus quidem doctrinam hanc perniciosissimam in gratiam medicorum venire posse, utpote quae speciosis ratiocinationibus suffulta faciliorem brevioremque sternit viam ad febrium cognitionem atque therapiam. Cum enim ponimus febres omnes essentiales a phlogosi gastro-enterica procedere, febresque remittentes et intermittentes cum his natura et indole convenire, facile patet, quaenam sit febrium omnium causa proxima sive pathologica conditio, et quaenam vastissimae hujus morborum familiae therapia. Haec vero consectaria nonnisi fucatam veri speciem praeseferunt; etenim procedunt a prima propositione qua statuitur, febres omnes essentiales a phlogosi gastro - enterica produci, quae propositio nec ab auctore comprobata satis est, nec comprobari fortasse unquam po-

terit. Veteribus enim doctrinis jam a medicorum universitate acceptis, tot saeculorum observationibus innixis, totque celeberrimorum medicorum scriptis sancitis, novam subrogare doctrinam quis erit qui audeat? Nemo profecto nisi vel temerarius et imprudens, vel novus sit Hippocrates, novus Galenus, novus Celsus, novus Sydenhamius, qui in naturae mysteria interpretanda mente incubuerunt non praeoccupata, et sedulo observârunt operationes intentionesque naturae.

Quare ex rebus hucusque expositis concludere fas est, novam Broussaisianam doctrinam hypotheticam, periculi plenam, atque perniciosissimam esse. Hypotheticam ideo declaramus, quia pura cautaque observatione destituitur; qua ducti nostri in arte parentes tantam sibi laudem promeruerunt, ut eorundem auctoritas tamquam oraculum in posteros haberetur. Hypothetica praeterea hujusce doctrinae natura ex eo evincitur, quod fundamenta sua fictitiis labilibusque insideant fundamentis; ponit enim uti comprobatum et verum, atque ab omni dubitatione remotum, quod nec probatum, nec verisimile est, ideoque in dubium jure ac merito revocari potest. Hypothesim tandem, non veram doctrinam sibi auctorem construxisse credimus, quod organismi animalis aegrotantis phoenomena non ita consideraverit, ut ex horum pluribus germanam morborum naturam educeret; ideoque symptomaticus medicus et haberi et nuncupari meretur.

Nec nos erravisse putamus cum Broussaisianum opus periculi plenum judicaremus. Omnes enim in

medicina systematicas doctrinas periculis refertas esse asserere non dubitamus. Quid enim periculosius in arte hac nostra salutari est, quam morbos fere omnes ex diversis causis procedentes ejusdem naturae credere, eadem methodo tractandos proponere? Nonne experientia clarissime demonstrat, morbos ad unum idemque genus spectantes iisdem non posse remediis debellari? Diarrhoeae et dysenteriae quot, quaeso, in curatione non expostulant modificationes imo varia remediorum genera? Hydropes nonne interdum deprimentibus, interdum stimulantibus, saepissime etiam irritantibus medicamentis abiguntur? Febres demum quis est qui non sciat ex innumeris fere causis procedentes, innumera pro re nata sibi vindicare remedia, et modo tonicis cedere, modo deprimentibus, modo specificis sic dictis, modo vero aliis medicamentosis substantiis? Quare sedulo caveamus ne speciosis et fucatis hujusmodi systematibus fidem nostram omnem adhibeamus, et dum breviori via incedimus, tutiori etiam incedere credamus. Ars enim longa, ait divinus Medicinae parens, vita brevis, experimentum periculosum, judicium difficile: hinc multa tulit, fecitque, sudavit et alsit qui studuit optatam contingere metam.

Quemadmodum tandem quod periculum includit, perniciem etiam serius ocyus afferre potest, sic et doctrinam istam perniciosissimam fere in confesso est. Et revera ad aegrotantium lectulos Broussaisianis doctrinis imbuti accedamus. Decumbit quidam ex febre intermittente gastrica. Quid agendum?

Prehe cito emeticum, ait rerum magistra experientia, mox corticem, et salus redibit. Sed emeticis et cortice gastro-enterica phlogosis exacerbari, et cum vitae periculo iucendi potest; adhibeamus potius hirudines ad regionem apigastricam, fomentationes emollientes, potus mucilaginosos. Quid inde? Recrudescit febris validior, saepius saepiusque accedit, et tandem continuitatem remittentium adepta, aegri vires quotidie infringit, vitamque in discrimen adducit. Emetico e contra caute et tempestive propinato, vel purganti quodam ramedio, prout res postulat, mitescit, febrisque accessus, et cortici postea optime cedit. Quapropter si nobis cordi est et aegros ad sanitatem restituere, et nostri nominis famam decusque tueri, per iter ab experientia et observatione paratum progrediamur, duce primum Hippocrate, duce Galeno, duce Celso, duce maxima doctissimorum praeteritae aetatis medicorum caterva, neque nos a tutiori hac via retineant nova quae quotidie proferuntur systemata, novae hypotheses, novi imaginationis lusus; ne quod verum indubitatumque manibus jam tenemus, ut nova caeco quasi impetu amplectamur, deserentes, aërem et inania captemus. Ah ardenti enim et flagranti isto in novas hypotheses studio quot et quanta in Medicinam irrepserunt mala!

Haec ea fere sunt, Professores humanissimi et sapientissimi, quae mihi dicenda erant; haec ea quae indulgenti atque in me praeter expectationem benigno vestro animo, magis quam judicio, vehementer commendo. Quod mihi proposueram, quantum

in me erat peregi: fateor tamen plura adbuc de boc argumento conscribi posse, et plura etiam scripta fuisse in periodicis praesertim operibus medico-chirurgicis. Sed plura hoc in loco disceptaturus et patientia vestra, et permagna doctrina atque perspicacissimo ingenio abusus essem: quare quae dixi aequo humanoque excipite animo, et sinite ut paucis adhuc vestra in me beneficia comprehendam. Jam vobis docentibus, didici quidquid didici; et multum sane me didicisse confido, si valeam in posterum, meo proprio marte, et veterum et recentiorum medicorum opera rite pensitare, atque inter haec ea prae caeteris in deliciis habebo cunctisque aliis anteponam, quae longarum observationum et experientiarum praesidio instruuntur. « Duo enim sunt, scribente Baglivio, praecipui Medicinae cardines, ratio et observatio; observatio tamen est filum ad quod dirigi debent medicorum ratiocinia .... » Et alio loco: « Medicina non ingenii bumani partus est, » sed temporis filia, quam, ut de divinatione veteres » quondam crediderunt, ex iis quae usus diuturnus » notavit effectum merito dixeris: definiri potest via » cognoscens, videns et explicans ex iis quae longo » tempore atque significatione eventua observavit » atque animadvertit, diversa morborum genera; » hisque non exprobabili quadam hypotbesi reme- » dia adhibens, id ab artis divinae praescriptis tot » longo usu comprobatis perpetuam Medicinam pa- » tens. Haec medendi disciplina si cum hypotheti- » cae splendore, fastu et magnificentia conferatur, » tenuis quidem, imo vilis fortasse ac contemnenda

» videbitur, at in illa nihil salutaris ac vitalis inest, » verum mira dumtaxat ramorum foliorumque luxu- » ries, ad aspectum quidem pulchra sed statim flac- » cescens, ubi primum ea novitatis gratia tanquam » succus defecerit. Haec vero quam modo descripsi- » mus cum non ex rebus fictis commentitiisque » constet, non ostentationis nec inanis, sed quae » in curandis hominibus sita est verae, gravis, soli- » daeque gloriae cupida nec ad ostentandos flores, » sed ad uberrimos et jucundissimos fructus profe- » rendos comparata in dies magis magisque crescit, » ac vegetior fit. »

721.

THESES DEFENDENDAE

I.

Nervorum systema a medico frequenter incusatur, praesertim cum alicujus phoenomenorum, quae ipsi sub oculos cadunt, rationem praebere nescit.

II.

Phthisis tempore graviditatis cursum ipsius suspendere solet.

III.

Phthisis vera confirmata a quocumque remedio insanabilis est.

IV.

Arduum est morbos psychicos simulatos detegere.

V.

Fides aegrorum erga medicum multum valet ad exitum felicem morborum.

VI.

Non datur in phlogosibus vera intermittentia.

VII.

Mercurialia quo validiora, eo minus hydrargyrosim provocant.

VIII.

Crebra exspuitio digestionem retardat.

IX.

Officium medici ultra morborum sanationem extenditur.

X.

Morbus miliaris sequelas tristes post se trahit.

XI.

Morbus miliaris systema cerebrale ut plurimum adfligere solet.

XII.

Glacies princeps remediorum in morbo miliari.